



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760


VI. De quatuor minoribus ordinibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

ga veste uterentur, clericos distinxit a laicis. Post iteratas preces, ut Deus novum clericum a servitute & ab ignominia habitus secularis liberet, Episcopus, eum in jurisdictionem Ecclesie transisse monet, acquisitis privilegiis Ecclesiasticis, adjicitque: *Cave tua culpa hæc amiseris, & Deo modesto habitu, castis moribus vitæque sanctitate, placere stude.* Ex quibus precum formulis apparet, cui fini tonsura detur, nec temere habitum Ecclesiasticum deponendum, ac aliud vitæ genus post tonsuram amplectendum esse.

officii ex-
pers est
tonsus.

VI. TONSI clerici nullæ sunt partes in Ecclesia, nisi *linteatus* officiis adistere velit. Potest tamen *quatuor minorum* vicibus fungi præ laicis; missam dicenti sacramentaque administranti sacerdoti adistere; curam habere cereorum, ornatusque Ecclesie. Præstat enim hæc talia a tonso, quam a laico fieri.



C A P. V I.

DE QUATUOR MINORIBUS
ORDINIBUS.

I.

Offiario-
rum or-
dinatio
& offi-
cium ex
pontifi-
cal.

OSTIARIORUM munus in Ecclesia præ-
sa necessarium fuit, ut aditum in Eccle-
siam præcluderent infidelibus, qui cultum pu-
blicum turbare, mysteriaque profanare pote-
rant. Hi in ecclesia suum cuique locum assi-
gnarunt; clerum a populo, mares a feminis
separarunt, cunctisque silentium & modestiam

commendarunt. Officium eorum, quantum ex Episcopi ordinantis oratione, precibusque inter ordinandum fusis, colligere licet, in eo consistit, ut pulsent campanas, distinguant horas precum, custodiant diu noctuque Ecclesiam, aperiant, claudantque Ecclesiam & sacrum stans horis; aperiant librum ei, qui verba facturus est ad populum. Traditis Ecclesie clavibus Episcopus inquit: *Sic age, ut scias, te Deo redditurum esse rationes earum rerum, quae his clavibus recluduntur.* Atque ut in universum dicam, quid de his precum formulis sentiendum sit, sunt eae canitie sua venerabiles, siquidem *consilio Carthaginensi IV. an. 398.* tempore Augustini habito conceptae. Ostiariorum igitur est, ornamentorum, ac reliqui splendoris Ecclesiae, curam habere, quae sane quam latissime patet, nec nisi maturae aetatis hominibus commendabatur. Plurimi omnem vitam in hoc gradu exegerunt; nonnulli ad *acolythorum ac diaconorum* munus provecti sunt. Nonnumquam laici hoc officium impetrarunt, qui hodie ut plurimum eo fungi solent.

II. LECTORES ostiariis ut plurimum de lectoribus ex eodem. fuerunt aetate inferiores, quum plerunque pueri, qui clericatu initiabantur, lectores fierent. Fuere saepe episcopis & presbyteris ab epistolis, proficientes coram iis legentes vel scribentes. Hac ratione erudiebantur, qui ad literarum studia & ad sacerdotia videbantur idonei^I. Multi tamen per omnem vitam lectores manserunt. Officium eorum semper necessarium visum, quia semper in ecclesia, si-

ve inter sacrificium *missa*, sive inter alias functiones, præsertim nocturnas, prælegebatur scriptura veteris & novi Testamenti. Legebantur etiam aliorum episcoporum epistolæ, acta martyrum, homiliæ patrum, quod hodieque fieri solet. Custodia sacrorum librorum ipsis commendata alex plenum opus fuit, persecutionum temporibus². Formula ordinationis habet, ut loco ejus, qui verba facit ad populum, prælegant, aut prælegenda decantent, panemque & novos fructus benedicant. Episcopus eos ad fidelitatem lectionis lectorumque exercitium exhortatur, adscribitque numero ministrorum verbi divini³. Hodie lectiones istæ ab omnis generis clericis, immo & presbyteris, cantari solent.

1) *Siric. ep. 1. ad Himer. Tarrac. c. 9.*

2) *Act. Ciribens. colon. Baron. an. 303. n. 12.*

3) *Pontifical. ex Conc. Carth. IV.*

Qui fuerint exorcistæ?

III. EXORCISTARUM munere hodie funguntur presbyteri, idque non nisi speciali mandato episcopi, quia raro dantur energumeni, & prudentia opus est, quum nonnumquam imposturis ludere soleant homines. Olim inter gentiles potissimum multi fuere dæmoniacy &, ut Christiani palam facerent, quam contemnenda videretur dæmonis potentia, dæmonum fugandorum munus infimi ordinis ministris commendarunt¹. Sed & iidem in catechumenis dæmonem ejurarunt. In pontificali officii eorum partes recensentur hæ: monere populum, ut, qui eucharistia non utantur, cæteris locum dent; aquam ministranti

affundere; dæmoniis manum imponere. Monentur, ut formulas execrandi memoriæ mandent. Denique iis virtus sanandi ægrotos attribuitur².

1) *Tertull. apolog. c.2.*

2) *Orat. ult. pontific. de ordin. exorcist.*

IV. ACOLUTHI fuere juvenes viginti, raro supra triginta annos nati, episcopi Qui acoluthi pedisequi apparitoresque & nuntii, qui etiam *eulogias* portarunt, hoc est, panem benedictum, qui aliis in *signum communionis* mittebatur. Eucharistiam quoque primis temporibus portarunt¹; sub diaconis altari ministrarunt, vicibusque subdiaconorum, antequam hi instituerentur, functi sunt. In pontificali non alia ipsis commendantur officia, quam *cereosferarium ferre, luminaria ecclesie accendere, vinumque & aquam ad eucharistiam ministrare*. Suffitus quoque curam habent. Atque hoc ordine juvenes maxime initiari solent.

1) *Martyrol. Rom. 15. Aug.*

V. PRIMIS temporibus inferiorum clericorum longe major fuit, quam superiorum numerus. Quum an. 254. Cornelius Papa eligeretur, ecclesia Romana numeravit in universum 152. clericos, nimirum 44. presbyteros, & 108. ministros, videlicet 7. diaconos; 7. subdiaconos; 42. acoluthos; 52. exorcistas, lectores, ostiarios. Ergo minorum quatuor ordinum 94. & quidem in gravissimæ persecutionis tempestate¹. Inde a Constantino auctus est hic numerus, & in ecclesiis per

Horum minorum clericorum major olim numerus.

spatium quingentorum annorum publicus cultus maximo cærimoniarum servientiumque apparatu celebratus. Post bona ecclesiæ dissipata, horum ministrorum numerus imminuendus fuit. Contra missæ minus solennes incrementales multiplicarunt presbyteros & altaria, licet alimenta deficiant iis, qui ad altare ministrant. Unde hodie parcius apparatus ministrorum in ecclesiâ, nec quisquam fere minoribus ordinibus inauguratur, nisi qui per hos ad ordines sacros tendit.

1) *Euseb. 6. hist. c. 43.*

qui ad
pompam
sacrorum
mirifice
compara-
tus fuit,

VI. INTERIM heroes istos, qui in externis hisce schematibus ordinandis tantum operæ posuere, in re nauci operam lusisse cave existimes. Compertum enim habere, quantum sensibus, imaginibusque, per sensus intransantibus, animus commoveri soleat. Loci decus, congregationis ordo, silentium, cantus, cærimoniarum majestas, animum ad Deum elevat, rudique populo reverentiam sacrorum inspirant, virtutisque amorem instillant^r. Si templum Hierosolymitanum tot millibus Levitarum, alternis vicibus servientium, tanta cultus majestate illustratum respicimus; non sine rubore intueri possumus nostras ecclesias ministris prope destitutas; quum tamen hic corpus Christi habitet, illic tantum arca fœderis, & ne hæc quidem in templo secundo.

1) *Concil. Trident. Sess. 22. c. 5.*

etiam
concilio
Trident.

VII. CONCILIUM certe Tridentinum^r noluit quatuor minores ordines pro

vanis titulis, functionesque eorum pro antiquitatibus ecclesiasticis obsoletis haberi. Sanxit enim, ut instaurarentur in omnibus ecclesiis, populo opibusque affluentibus. Voluitque, ut pars reddituum etiam fabricæ, iis impendatur, & uxorati clerici his imbuantur, si cælibum non sit copia: quemadmodum olim quoque conjugati iis fungebantur. Sed quum ex usu nostri ævi per hos ordines veluti per gradus adscensus detur ad superiores; eodem concilio sancitum est, ut iniciandi saltem latine docti sint, testimonioque magistrorum, sub quibus crevère, muniti; commendantur quoque interstitia, ut clerici sacris cujusque ordinis functionibus adsuefiant; & episcopi profectus eorum in literis & moribus explorare possint; permitta tamen episcopis dispensandi potestate, qua tam liberaliter utuntur, ut sæpe eidem homini eodem die omnes ordines conferri videas. Sunt etiam abbates, qui hos minores ordines monachis suis conferendi potestatem sibi arrogant; quorum jura canonum auctoritate non destituuntur ².

no com-
menda-
tus,

quam-
quam ho-
die inter-
stitia ne-
gligan-
tur.

1) *Seff. 23. ref. c. 17.* 2) *Concil. Nicæn. II. c. 14.*

C A P. V I I.
D E O R D I N I B U S S A C R I S
U N I V E R S U M.

I.

SUBDIACONI est, *castitatem* servare; *titulum* habere, hoc est, alimenta sive ex ecclesiæ bonis, sive ex suo patrimonio certa; ac

Eorum, qui in sacris sunt, tria offi-